

cent, sed omnibus pro virili commodant. *Omniū Societatum*, inquit, *nulla præstantior est, nulla firmior, quam cum viri boni, moribus similes, sunt familiaritate conjuncti &c.* Quem locum luculenter illustrare potest Ciceronis nostri Lælius; in primis Cap. IIX. edit. Græv. ubi dicitur: *Nihil est amabilius virtute: nihil, quod magis alliciat ad diligendum: quippe cum propter virtutem & probitatem eos etiam, quos nunquam vidimus, quodam modo diligamus.* Laudatur proinde hic in Offic. Amicitia Honestæ, quæ est inter Viros bonos, moribus similes; de qua loquitur Quintilianus in Declam. *Fungit amicitias similitudo morum; nescio quomodo inter se animorum lumina vident, & agnoscunt: nec quisquam amare in altero potest, nisi quod tacitus probat.* Pergit Cicero: *In quibus enim eadem studia sunt, eademque voluntates, in his fit, ut æque quisque altero delectetur, ac se ipso: efficiturque id, quod Pythagoras vult in amicitia, ut unus fiat ex pluribus.* Pythagoræ videlicet tribuitur, quod dixerit: ἡ Φιλία ἰσότης, καὶ μία ψυχὴ, καὶ ὁ Φίλος ἕτερος αὐτός. Aristoteles etiam, interrogatus, quid amicus esset? respondit: μία ψυχὴ δύο σώμασιν ἐνοικῆσαι, una anima in duobus corporibus habitans. Sic amicus amico apud Plautum: *Ego tu sum, tu es ego, unum animi sumus!* Stich. A. V. sc. 4. Tullius noster in Lælio: *Homo & se ipse diligit, & alterum acquirit, cuius animum ita cum suo misceat, ut efficiat pane unum ex duobus.* Denique & illa hic in Offic. subjicitur communitas, qua conficitur ex beneficiis ultro citroque datis acceptis: quæ tamen non ita firma est societas & amicitia, uti præcedens, Virtuti & morum similitudini nixa. *Si enim utilitas amicitias conglutinat, eadem commutata dissolvit.* Cic. in Læl. c. 9.

XI.

Ad extremum denique omnium societatum nulla est gravior, (gratior) nulla carior, quam ea, quæ cum Rep. est uni-